Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31296
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

Serua cor liberum et ad deum sursum erectum
quia non habes hic manentem ciuitatem. Illuc
preces et gemitus cottidianos cum lacrimis
dirige ut spiritus tuus mereatur ad dominum post
mortem feliciter transire.

De iudicio et penis peccatorum.

xxiiij In omnibus rebus respice finem et qualiter
ante districtum iudicem stabis. cui nichil
occultum est. qui muneribus non placatur
nec excusaciones recipit. sed quod iustum est
iudicabit. O miserrime et insipiens peccator
quid respondebis deo omnia mala tua scienti
qui interdum formidas vultum hominis irati
Ut quid non prouides tibi in die iudicii quando
nemo poterit per alium excusari aut defendi
sed unusquisque sufficiens onus erit sibi ipsi
Nunc labor tuus est fructuosus, fletus accep-
tabilis, gemitus exaudibilis, dolor satis-
factorius et purgatiuus. Habet magnum
et salubre purgatorium paciens homo.
qui suscipiens iniurias dolet plus de alterius
malicia quam de sua iniuria, qui pro contra-
riantibus sibi libenter orat, et ex corde
culpas indulget, qui veniam petere ab aliis
non retardat, qui facilius miseretur quam
irascitur, qui sibi ipsi violenciam frequenter
facit, et carnem omnino spiritui subiugare
conatur. Melius est modo purgare peccata
et vitia resecare quam in futuro purgatoria reseruare.